MYSTERIA EUCHARISTIAE

*SUNT QUIDEM IMPERVIA RATIONI HOMINUM
MINIME VERO CONTRARIA*

THESES

QUAS SUB AUSPICIIS
REVERENDISSIMI

CAPITULI

ECCLESIAE CATHEDRALIS VICETINAE
PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

DOMINICUS FRIZO
SEMINARII VICETINI ALUMNUS
PRAECEPTORE ET ADJUTORE
CAMILLO PRETO
IN EODEM SEMINARIO
THEOLOGIAE DOGMATICAE
LECTORE.

*FACTA CUIQUE POST TERTIUM ARGUENDI
COPIA MORE ACADEMICO.*

VICETIAE
EX TYPOGRAPHIA MOSCA.
1816.

Memoriam fecit mirabilium suorum Ps. 110.

MYSTERIA EUCHARISTIAE SUNT QUIDEM IMPERVIA RATIONI HOMINUM MINIME VERO CONTRARIA

Th. I.

Christus cœna facta : *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est Sanguis meus.* (1) Hæc verba per se demostrant, Christum, in illa cœna, Discipulis corpus suum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum tradidisse. Profecto eadem sic intellexerunt Patres omnes; imo vero eorum permulti docuerunt apertissime, vi verborum illorum, panem ipsum versum esse in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem; quod etiam definiere plura Concilia tum Particularia, tum Generalia. Hinc primum Mysterium, quod de Eucharistia nobis credendum pro–

(1) Matth. C. 26. v. 26. et 27.

ponit Catholica Ecclesia, hoc est: panem videlicet, & vinum verti in Corpus, & Sanguinem Christi.

Th. II.

Hoc Mysterium, vere magnum, et mirabile, in quo alia plura æque magna, & mira continentur, hujusmodi est, ut nulla percipi ratione possit. Hinc mali homines, nati ad Ecclesiam lacerandam, & proscindendam rerum novarum amore, fidentes scientia vana, ac tumentes superbia, hanc catholicam veritatem rejiciunt, quasi idcirco rem absurdam doceat Ecclesia; quæque tantum a rudibus, & imperitis hominibus recipi possit; minime vero a viris sapientibus, & Philosophis. Verum id injuria, pluribus de causis; ut ostendi facile potest.

Th. III.

Ac primum quidem, si recte judicare velimus, nihil rejici potest ea de causa, quod percipi nequeat; cum experientia doceat, multa nobis, primo aspectu, videri falsa, & rejicienda, quæ deinde verissima esse deprehenduntur. Sic Matheseos ope, deprehendimus, homines metiri e terra solem, et sidera; quod rerum mathematicarum ignaris videtur absurdum. Deinde si quod percipi ne-

quit, rejiciendum foret, quam multa, quæ non intelligimus, quæque verissima esse experimur, forent rejicienda! Non enim in Religione tantum, sed & in rerum natura, atque adeo in nobismetipsis multa sunt, quæ nos minime percipimus. Ex. gr. quis percepit unquam, qua ratione animus, qui diversa adeo a corpore natura est, ita cum corpore copuletur, ut alter in alterum agat? Attamen rem ita se habere, & credunt, & propugnant illi ipsi, qui Eucharistiæ Mysteria superbe adeo despiciunt, & contemnunt. Præterea cum Eucharistia sit opus Dei, et quidem maximum, et præstantissimum, nihil magis rationi consentaneum, quam ut contineat ea, quæ ab hominibus percipi nullo pacto possint. Denique, ut paucis complectar omnia, recta ratio monet, ac postulat, ut, antequam repudietur Dogma, quod tradere perhibetur Religio, quæ a Deo est, diligenter investigemus, utrum illud vere Deus hominibus palam fecerit. Deinde si, in instituto judicio, constet, Dogma vere a Deo esse, postulat eadem ratio, ut illud tanquam verissimum recipiamus, etiamsi humanæ rationi videretur repugnare. Mens enim nostra finita est, et tenebris obdu-

cta; Deus autem omnipotens, et omnituens est; tum experientia constat, nos in judicando errare sæpe, ac decipi; cum contra certissimum sit, Deum nec fallere, nec falli posse. Ridendi igitur sunt improbi homines, tum quia, rejectis Eucharistiæ Mysteriis, retinent, & propugnant ea, quæ plurima habet natura; tum quia, ut eadem repudient, ad rationem confugiunt, quasi nos nobis magis fidere debeamus, quam Deo.

Th. IV.

Atque ut rem propius investigemus, quid est tandem, quod cum ratione pugnet, ut hominem, qui ratione utitur, dedeceat Eucharistiæ Mysteria amplecti, et credere? Docet quidem primum Ecclesia Catholica, panem, et vinum verti in Corpus, et Sanguinem Christi. At nihil obstat, quominus id fieri possit. Olim Philosophi tradebant: *ex nihilo nihil*; quia fieri nullo pacto posse putabant, ut aliquid e nihilo educeretur. Nunc nemo est, qui id fieri posse neget: perspectum enim est, minime repugnare, e nihilo esse rem, quæ non erat; cum tempus, quo eadem est, idem non sit, ac tempus, quo non erat. Igitur si fieri e nihilo potest, quod non est, qua de causa in aliud verti nequeat, quod est?

Th. V.

Verum quidem est, res e nihilo eduxisse Deum, qui omnipotens est; mutationem autem panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi fieri ab hominibus, qui omnipotenti vi præditi non sunt. Sed neque hoc impedimento est, quominus id fieri possit. Non enim hoc efficiunt homines, ut homines sunt; sed ut ministri ad id a Deo ipso designati, et constituti; cujus verbis etiam utuntur, dum tantum opus perficiunt. Igitur negare hanc mutationem fieri posse ab hominibus, quia homines sunt, idem est, ac negare, eandem fieri posse a Deo ipso; cum homines in hac re agant tantum, ut ministri Dei.

Th. VI.

Neque obstat, eandem fieri, nobis minime advertentibus. Nam multæ fiunt in ipsa rerum natura mutationes, de quibus animus per sensus certior nequaquam fit. Pruna celerrime in gyrum versa, (ut hoc utar exemplo) si oculis nostris credimus, tota simul est in quolibet puncto spatii, quod percurrit conversione sua; atque ita quidem est, ut ne vel minimum quidem moveri de loco in locum videatur; exhibet enim fulgentem circulum, nullis intervallis disjunctum, sed continuum. Nihilominus certum est, prunam eodem temporis momento esse tantum in

puncto uno spatii, et transire vicissim de loco in locum; quod is sane perspiceret, qui, celeri oculorum motu, citam ejus conversionem persequi posset. Cum igitur sensus omnium mutationum, quæ in ipsa rerum natura fiunt, certi nuntii non sint, nullo pacto dici potest, panem, et vinum in Eucharistia non immutari, eo quod eorum mutationem sensus ad animum minime deferant.

Th. VII.

Jmo vero si iidem sensus ad animum referrent, aliquam contigisse in rebus externis mutationem, pro certo illico habere non deberemus, talem contigisse mutationem, qualem, sensibus nuntiis, fieri plerumque cognovimus. Etenim deprehendimus sæpenumero, mutationes in rebus externis non respondere mutationibus, quas extra nos, sensibus referentibus, factas esse judicamus. Navi iter facientes remos in aqua inflecti & tellurem recedere, oculorum testimonio, judicant, cum nihilominus recti sint remi, & tellus stet. Jgitur si tunc etiam fallimur, cum sensuum testimonio nixi judicamus eam contigisse in rebus externis mutationem, quæ non contigit, non est, cur tantopere sensibus fidant adversarii.

Th. VIII.

Quid, si etiam nunquam falleremur, cum sensuum testimonio nixi judicamus de mutationibus, quæ fiunt in rebus externis? Num idcirco dici vere posset, eam, de qua sermo est, mutationem non fieri, sensibus nihil ad animum deferentibus? Nequaquam. Mutatio enim, de qua loquimur, naturæ, & substantiæ panis, & vini est, quas nos minime novimus; mutationes autem, quas sensus ad animum deferunt, sunt mutationes rerum earum, quæ *qualitates* corporum *accidentales*, seu *accidentia* vocantur; qualia sunt color, odor, sapor, sonus, & similia; quæque, si vere, & proprie loqui velimus, sunt ipsæ ideæ animi nostri, quas cum in nobis excitent corpora, quæ nos circumstant, idcirco inhærere corporibus iisdem qualitates ideis respondentes, & similes arbitramur; cum tamen in corporibus nihil sit, nisi vis eas excitandi; quæ vis qualis sit nos penitus latet. Igitur etiamsi sensus fideles nuntii essent, nec per eos deciperemur unquam, iisdem permanentibus, eorum testimonio, substantiarum qualitatibus, male deducitur, easdem remanere substantias, cum substantiæ a qualitatibus omnino differant.

Th. IX.

Profecto quis dixerit, mutatis qualitatibus, sive animi sensibus, certo mutatas esse ipsas rerum substantias, cum experientia doceat, id fieri posse pluribus aliis de causis, & quidem a mutatione substantiarum prorsus diversis. Corpus quodlibet, radiis disjunctis, septem omnino diversos colores exhibet, eadem manente substantia; idque docti, indoctique omnes sentiunt. Eadem manente substantia, amarum fit vinum, quod erat dulce, lingua acri liquore suffusa. Naribus interius muco, aliove humore obductis, tenuis, aut nullus ab eadem rosa percipitur odoris sensus. Æs campanum ingratum sonat, si rimam agat. Pannus sericus lævis & asper est, si palma, vel dorso manus attingas. Ferrum sursum in magnetem fertur, eidemque inhæret, quasi pondere careat. Pluma in *tubo vacuo* deorsum labitur, quasi plumbum. Causa igitur, qua mutantur animi sensus, non una est mutatio substantiarum, sed aliæ plures sunt a substantiarum mutatione prorsus diversæ; eædemque sunt cum in nobis, tum extra nos; ac proinde dici tuto nequit, toties mutari substantias, quoties animi affectiones mutantur; cum inde tantum sequatur, mutatam esse unam ex iis causis, quæ concurrunt simul cum

rerum substantiis ad hunc, vel illum sensum in animo producendum. Cum igitur, eadem manente corporum substantia, mutari adeo possint qualitates, cur, iisdem manentibus qualitatibus, mutari non poterit substantia, ut fieri in Eucharistia docet Ecclesia?

Th. X.

Sunt quidem certæ qualitatum mutationes, quibus positis, omnes conveniunt, substantias ipsas mutatas esse. Ita omnes pro certo habuerunt, aquam ex.gr. in nuptiisCanæ Galilææ versam fuisse in vinum, mutato colore, & sapore. Id & nos libenter concedimus; imo vero docemus, & propugnamus, hanc esse regulam, quam in judiciis ferendis homines sequi debent, quotiescumque scire velint, num rerum substantiæ eædem sint, nec ne. Quid inde tamen contra nos? Nihil profecto. Etenim hinc sequitur tantum, in ea mutatione, aliisque similibus, rem ita gestam esse; minime vero aliter fieri non potuisse: quod profecto nulla ratione probari potest. Nam si rem probe inspicere, & vera fateri velimus, tam nobis mysterium objicitur, cum, eadem manente corporum substantia, certi oriuntur in nobis sensus, quam cum iidem sensus excitantur, substantia mutata; etenim præter id, quod sentimus, nihil amplius percipimus

in eventu utroque. Omne discrimen in eo est, quod horum alterum experimur tantum in genere uno rerum, videlicet in Eucharistia; alterum vero in ceteris rebus omnibus; atque hoc, quia usitatum, ducimus naturale; illud autem admiramur, veluti prodigium, quia novum; cum cæteroquin utrûmque æque prodigium sit. Etenim modus, quo in animo ideas excitant causæ externæ, quæ in corpus agunt, in quo tandem situm est mysterium, nos semper latet. Cum igitur par nobis mysterium objiciatur, sive certi sensus excitentur, eadem permanente corporum substantia, sive iidem, substantia mutata; qua de causa, altero mysterio recepto, alterum repudiabimus; cum nulla adsit major ratio, hoc quam illud negandi?

Th. XI.

Quod vero ajunt, effectus similes oriri a causis similibus, & vicissim, nullius prorsus momenti est, ad evertendum, quod docemus. Etenim in primis id verum non est; videmus enim quotidie, effectus simillimos oriri a causis omnino diversis. Disjunctio ex. gr. animi a corpore una, eademque omnibus est. Hic tamen effectus facile ab eadem causa neque

ortus adhuc est, nec orietur fortasse unquam: adeo multa, & diversa sunt, quæ, ut ille idem existat, conspirant. Deinde etiamsi id verum esset, nequaquam idcirco sequeretur, similem effectum oriri ex simili substantia, sed ex simili causa; quæ, ut supra vidimus, unum non est cum rei substantia. Igitur qui ex similitudine effectus similem ait esse substantiam, is accipit substantiam pro causa, quod fieri nequit, cum altera ab altera diversa sit.

Th. XII.

Quamquam quid in hujusmodi argumentis referendis tantopere immoramur, cum nihil proficiant adversarii, etiamsi eadem nulla essent? Etenim quæ tandem est controversia, quæ agitur? Nimirum hæc: utrum substantia rerum corporearum ex alia in aliam verti possit, animo non percipiente. Si hæc porro est quæstio, quid tandem vetat, quominus id fieri possit? Nihil profecto. Etenim substantia corporea, & animus, non una, sed duæ res sunt, & quidem omnino diversæ. Igitur mutatio unius cum alterius mutatione ita necessario connexa non est, ut altera sine altera stare nequeat. Animus percipere quidem necessario debet mutationes, quæ in ipso fiunt; minime vero, quæ fiunt extra ipsum. Igitur etiamsi juxta leges in hac rerum

universitate statutas, mutationibus rerum externarum certo responderent mutationes in animo, idemque clare perciperet, quomodo id juxta leges ipsas fiat; nihilominus dici non posset, nullam fieri in Eucharistia substantiæ mutationem, animo non percipiente; cum minime repugnet, præter leges statutas, animo non percipiente, fieri mutationem.

Th. XIII.

Non equidem ignoramus, esse, qui nos rideant veluti nimium credulos, cum dicimus mutationem fieri, animo non percipiente, contra leges statutas. At ridendi ipsi sunt, qui cum id fieri posse negent, non vident, se maxime absurdam sententiam stulte, et impie tueri. Etenim ut hoc negare jure possent, alterum de duobus ostenderent, necesse esset; aut leges semel statutas mutari non posse; aut teneri Deum, homines de mutatione contra leges facta, certiores facere per sensus, ut homines credere teneantur; quorum neutrum fieri potest. Etenim mutari a Deo leges statutas non posse, nemo asserere jure potest, qui non noverit, quæ ratio intercedat inter animam humanam, & substantiam rerum corporearum, vi cujus, altera mutata, altera quoque mutari necessario debeat; ac proinde qui non noverit naturam animæ, & corporis nostri, rerum externarum, & Dei ipsius; atque non

perspexerit apertissime, nullo erroris periculo, fieri omnino non posse, ut hisce stantibus rerum naturis, legum mutatio fiat. Hæc autem omnia ejusmodi sunt, ut cognosci a nemine possint. Ostendi igitur nequit, leges statutas mutari non posse.

Th. XIV.

Alterum igitur restat, quo se convertant. At hic quoque hæreant necesse est. Qua enim ratione probabunt, teneri Deum, homines de mutatione contra leges facta certiores facere per sensus, ut iidem credere teneantur? Deus tenetur quidem, nos certiores facere, mutationem fieri, ut nos credamus; at quocumque modo id faciat, nos credere debemus, cum nefas sit vel suspicari, Deum posse mentiri. Cum igitur & mutari leges statutæ possint, neque teneatur Deus, nos de ejusmodi mutatione per sensus certiores facere, ut credamus, stulte, & impie nos irrident Religionis hostes, cum dicimus, mutationem substantiæ fieri, animo non percipiente, contra leges statutas.

Th. XV.

Quamobrem, hisce stabilitis, & fixis, patet, recte rationi minime repugnare eam conversionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, quam in Eucharistia fieri docet Ecclesia; quamque apposite, proprio vocabulo, *Transubstantiationem* appellat.

Th. XVI.

Sentiunt ipsi Religionis impugnatores robur, & vim argumentorum, quæ vindicant Mysterium hoc ab eorum cavillationibus; atque hinc, conversis viribus, cætera, quæ in hoc ipso continentur, aggrediuntur. Siquidem Ecclesia, ejusmodi proposito Mysterio, ne quis existimaret, in ipsa Eucharistia disjungi Sanguinem a Corpore, Christumque vere occidi, ut in Cruce factum est; quod nefas est credere (*Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (1)) alterum Mysterium nobis credendum proponit; videlicet totum, atque integrum Christum contineri sub specie utraque; imo vero sub qualibet particula speciei utriusque, saltem *facta separatione*. Quod quidem Mysterium cum nostram intelligendi vim magis adhuc superet, eo acrius in se acuit ingenium, & furorem hominum impiorum. Petunt itaque illud undique: quanto autem melioribus auspiciis, videndum est.

Th. XVII.

Sibi videntur impii homines, magnum aliquod contra hoc Mysterium afferre asserendo, Corpus, quod est solidum, esse non posse sub speciebus vini, quod liqui-

(1) Rom. c. 6. v. 9.

dum est, & vicissim; cum ejusmodi qualitates se invicem destruant, & simul esse nequeant. Perpendenda res est, & perspiciendum, utrum vere ita sit. *Solidum* itaque, & *liquidum*, si recte loqui velimus, sunt ideæ, quas in animo excitant corpora, quæ ideo solida, vel liquida vocantur; minime vero sunt corporum proprietates, quæ ex eorum natura necessario manent, ipsisque inhæreant, ut olim falso docuerunt Metaphysici. Itaque fieri quidem nequit, ut solidum sit liquidum, & vicissim, quia hujusmodi ideæ natura differunt inter se. Verum animi ideæ confundendæ non sunt cum substantia rerum corporearum, aut cum aliis rebus externis, a quibus excitantur. Res externæ conspirant quidem ad sensus in animo producendos; at a sensibus sunt omnino diversæ, tanquam causa ab effectu. Igitur si fieri nequit, ut solidum sit liquidum, & vicissim, quia hæc inter se differunt, dici nullo pacto potest, fieri etiam non posse, ut sub speciebus rerum earum, quibus solidi, vel liquidi idea respondet, contineatur Corpus, et Sanguis Christi; cum hæc ab animi ideis sint omnino diversa. Iisdem permanentibus qualitatibus, mutari posse panem in Corpus, & vinum in Sanguinem, jam vid imus. Igitur cum *soli-*

dum, & *liquidum* sint animi ideæ, seu corporum qualitates, eadem ratione, fatendum est, panem, & vinum mutari etiam posse in Corpus simul, & Sanguinem, iisdem permanentibus qualitatibus; ac proinde Corpus, & Sanguinem, atque adeo totum Christum contineri sub specie utraque.

Th. XVIII.

Quod si minime pugnat, totum Christum contineri sub specie utraque, ego sane non video, cur magis pugnet, eundem contineri totum sub qualibet particula speciei utriusque, licet minima. Ajunt quidem, fieri id non posse, quia Corpus Christi, & pars minima inter se maxime discrepant magnitudine. At id gratis dicunt. Etenim constat in primis, ut Physici noverunt, corpora quælibet esse spongiis simillima ob plurimos sinus, & latebras, quibus plena sunt, & distincta; ac proinde, licet mole maxima, per omnipotentem Dei vim imminui adeo posse, ut cerni vix queant, servato partium ordine, atque integra permanente substantia. Deinde *magnum*, & *parvum* sunt animi affectiones, quæ nihil commune habent cum substantia corporum; quæque etiam certa lege minuuntur, ut ita dicam, & augentur, pro ut propior, aut remotior est causa, a qua

proficiscuntur. Denique videmus, corpus idem, eadem distantia, crescere in immensum, & imminui, oculis diversa chrystallo armatis, quæ *lens* concava, vel convexa appellatur. Cum itaque *magnum*, & *parvum* necessariæ corporum qualitates non sint, cumque corpora augeri, & imminui maxime possint, incolumi substantia, patet, nulla omnino ratione negari, totumChristum contineri posse sub qualibet vel minimaparticula speciei utriusque

Th. XIX.

Nec quidquam officit, particulas, sub quibus latet, carere pondere. Nam pondus non magis est necessaria corporum qualitas, quam cæteræ, quas huc usque attigimus; cum pondus quoque sit affectio animi, quæ in nobis oritur, non quia ita postulet natura corporum, quæ sustolluntur; sed quia eadem, ut Physici docent, ignota quadam vi, quam Deus indidit rerum naturæ, trahuntur in telluris *centrum*; & quidem majori pondere, vel minori, ut majora, vel minora sunt corpora ipsa. Verum quemadmodum eam Deus rerum naturæ indidit, ita etiam ejus effectus impedire potest, cum lubet, ipsamque etiam adimere, si velit, salva natura, & substantia Corporum; ita ut non solum corpus minimum

sed etiam maximum, atque adeo tellus ipsa, mundusque universus moveri quaqueversus, nullo labore, posset, si hac potius, quam illac, nulla vi, raperetur. Igitur si pondus est animi affectio, quæ oritur ex hujusmodi causa, cujus effectus impediri, atque etiam tolli potest, salva natura, & substantia corporum, carentibus pondere particulis, dici omnino nequit, Christum sub iisdem totum non contineri.

Th. XX.

Hinc cognosci facile potest, quomodo etiam falso dicatur, quod, scissis in partes speciebus, scindi debeat & Corpus Christi. Etenim cum is totus esse possit sub qualibet particula, nihil profecto vetat, totum sub qualibet esse cum ante, tum post separationem. Nam particulæ eædem omnino sunt, sive cohæreant, sive distrahantur: hoc tantum discrimine, quod alterum locum tenent, si cohærent, alterum, si distrahuntur. Verum loci mutatio rerum *relationes* mutat, non naturas, ut omnes fatentur. Igitur si Christus totus esse potest sub qualibet parte cum ante, tum post disjunctionem, discerptis in partes speciebus, minime consequens est, ipsum quoque necessario discerpi.

Th. XXI.

Quin etiam hinc palam fit, quomodo, facta separatione, idem totus sit sub partibus singulis, nullis iterum prolatis verbis. Etenim cum totus esse possit sub parte qualibet ante disjunctionem, ut totus sub singulis sit, separatione facta, minime necesse est, ut verba iterum proferantur; sed satis est, ut disjunctio fiat. Etenim, separatione facta, sub partibus singulis ille idem est, qui sub qualibet simul erat, antequam disjunctio fieret.

Th. XXII.

Post ea, quæ statuimus, inutile ducimus animadvertere, nihili omnino faciendum esse, quod ajunt, Christum, si totus sit sub specie utraque, *majorem* simul futurum, & *minorem*, *quadratum*, & *rotundum*, & similia. Etenim cum minime pugnet, eundem contineri totum sub qualibet vel minima particula speciei utriusque cum ante, tum post separationem, ut docuimus, patet, illum sub partibus singulis latere ita posse, ut nihil eorum, quæ opponuntur, vere dici de ipso queat. Profecto *partes specierum*, *species*, *qualitates*, ut alibi docuimus, idem non sunt, atque rerum substantia. Adde, quod nos modum, quo existunt res externæ, penitus ignoramus, cum tantum noverimus modum, quo nosmet existimus,

ac proinde fateamur necesse est, nos, cum loquimur de iis rebus, quæ fiunt extra nos, loqui de rebus ejusmodi, de quibus nullam omnino ideam habemus. Quam multa autem, quamque magna, & mira extra nos, inscientibus nobis, efficere possit Deus, qui omnipotens est, quis percipiat unquam? Igitur plumbeæ stupiditatis, aut insanissimæ superbiæ est, contra ejusmodi Mysteria, atque adeo contra omnipotentem Dei vim, hæc tam ridicula, & inepta proferre.

Th. XXIII.

Concludendum igitur est, Ecclesiam, recta ratione minime repugnante, docere, non solum panem, & vinum in Eucharistia verti in Corpus, & Sanguinem Christi; sed etiam totum, atque integrum Christum contineri sub specie utraque; imo vero sub qualibet particula speciei utriusque, quidquid contra obganniant comtemptores, & irrisores Mysteriorum tantorum.

Th. XXIV.

Quæ huc usque tradidimus, hujusmodi sunt, ut a novis in Eucharistiam machinationibus deberent quemlibet deterrere. Hisce tamen non acquiescunt viri alieni a credulitate hominum imperitorum, libere sentientes de Religione, atque utentes ratione. Cum enim ex iis, quæ do-

cuimus, videant, consequens esse, nos de Eucharistia tertium Mysterium credere, & proponere; videlicet Christum unum, eundemque esse totum simul in locis pluribus, putant, se in hoc Mysterio ejusmodi rem invenisse, quæ cætera omnia evertat. Hinc in Eucharistiam furunt, & debacchantur; imo vero, quasi parta victoria de Religione universa, exultant, & triumphant. Quo autem jure, ex iis, quæ proferemus, palam fiet.

Th. XXV.

Ecclesia itaque docendo Christum esse totum sub qualibet particula, docet quidem simul, eundem esse etiam totum in locis pluribus, tempore eodem; imo vero hoc est tertium, & quidem longe maximum Mysteriorum, quæ de Eucharistia traduntur. Verum hinc non evertitur Eucharistia ipsa, quasi rem maxime absurdam doceat Ecclesia, ut censent adversarii. Etenim corpus unum, seu congeriem substantiarum, vel etiam unam, eandemque substantiam, quæcumque tandem ea sit, esse omnino non posse, eodem tempore, in locis pluribus, non ita concedi facile potest. Profecto in singulis hominibus esse tantum animam unam, quæ procul dubio substantia est, licet a corpore diversa, nemo sanus

dubitaverit. Eandem tamen totam simul esse in singulis corporis partibus, olim Metaphysici & docuerunt, & crediderunt. Sententia igitur ejusmodi Philosophorum, substantiam unam, eamdemque esse totam in locis pluribus, tempore eodem, minime repugnat.

Th. XXVI.

Amandata quidem procul a Scholis nunc est ejusmodi opinio; at id non ideo factum est, quia absurda eadem sit. Sane in Scholis viget altera huic simillima, quæ & viguit semper; nempe Deum, qui, ut ratio ipsa demonstrat, unus est, esse totum simul in locis omnibus. Si verum esset, rem unam esse simul non posse in locis pluribus, sequeretur, aut Deum uno tantum loco esse, tempore eodem, aut totidem esse Deos, quot sunt loca, in quibus idem simul existit. At horum alterum reprobatur ab omnibus; alterum autem, ut Deum de medio tollant, ne Athei quidem in medium proferunt, cum videant, nimis infirmum esse, & inane. Perspectum igitur neque per hujusmodi Philosophos est, susbtantiam unam esse simul non posse in locis pluribus.

Th. XXVII.

Quod si opponant, Deum, licet unum, idcirco esse simul in locis pluribus, quia ejus natura longe excedit nostram percipiendi vim, male hinc tuentur sententiam suam. Etenim cum de rerum naturis sermo est, nos nihil omnino percipimus, quæcumque tandem eæ sint. Profecto si vera fateri velimus, nos tam fugit natura corporum, quam natura Dei; cum de corporibus ipsis nihil aliud noverimus, nisi quod experimur: quodque, ut vidimus, nihil omnino habet cum natura corporum commune. Igitur si natura corporum nos latet, æque ac natura Dei, nequaquam dici potest absurdum, corpora esse simul in locis pluribus, cum in locis pluribus sit Deus.

Th. XXVIII.

Neque magis proficiunt si dicant, Deum esse *immensum*, & *infinitum* natura sua; qualia profecto non sunt corpora, quæ natura sua finita sunt; ac proinde dici de corporibus non posse, quod de Deo dicitur. Etenim Deus infinitus, & immensus dicitur, non quia mole diffundatur in immensum per spatia locorum, qualis proprie est immensitatis idea; quod est absurdum; sed quia talis

est natura sua, ut totus simul ubique sit; qualis certe non est natura rerum conditarum, quæ certis finibus continentur. Igitur prædicari utique de corporibus nequit, quod prædicatur de Deo. At hinc sequitur tantum contra *Ubiquistas*, corpora, finita natura sua, esse non posse ubique, tempore eodem, sicut est Deus; minime vero, esse simul non posse in locis pluribus.

Th. XXIX.

Quid? quod ejusmodi effugium inutile etiam in se est, si res probe inspiciatur? Etenim adeversarii contendunt, corpus unum esse simul non posse in locis pluribus ex sola idea existentiæ, quam cuique rei peræque tribuunt. Etenim de existentia controversia est, non de modo existendi. Iidem autem, Deum, qui natura sua unus est, esse totum simul in locis omnibus, et docent, et propugnant. Igitur si eorum sententia res una esse simul potest in locis pluribus, quin idcirco necessario multiplicetur, sententia ipsorum, res etiam altera esse simul poterit in locis pluribus, quin idcirco necessario multiplex fiat.

Th. XXX.

Profecto si quæramus, qua tandem ratione ducti negent homines, corpus idem esse simul non posse in locis pluribus, re-

spondent, quia corpora in hac rerum universitate, eodem tempore, uno tantum in loco sunt, ut experientia ostendit. At hæc ad id negandum infirma admodum ratio est, ut per se patet. Etenim experientia probat tantum, quid in hac rerum universitate fiat juxta leges statutas; minime vero quid fieri necessario debeat juxta rerum naturas, ut omnes Physici docent. Igitur eo quod aliquid contingere non videamus in hac rerum universitate juxta leges statutas, male concluditur, fieri id non posse juxta rerum naturas; cum rerum naturæ, et leges statutæ idem non sint.

Th. XXXI.

Denique quid tam multis opus est ad refellenda quæcumque proferri ab omnibus possent, sive Hæreticis, sive Philosophis, cum rei ipsius natura demonstret, minime repugnare, corpus unum idemque esse simul in locis pluribus? Sane idea corporis, et idea loci una atque eadem res non sunt; quæcumque tandem sit loci idea. Igitur corpus unum esse simul in locis pluribus, minime pugnans est. Absurdum est, corpus idem esse simul unum, et non unum. At qui dicit, corpus unum esse simul in locis pluribus, minime dicit, corpus idem esse simul unum et plura, cum *unum* pertineat ad

corpus, *plura* autem ad loca; quæ a corpore omnino differunt. Etenim nemo dixerit, plura loca idem esse, atque corpus unum. Quotiescumque itaque plures sunt ideæ, quæ ad loca spectant, dici omnino nequit, totidem necessario esse corpora, quæ in iisdem sunt. Igitur qui ex idea existentiæ corporis in locis pluribus concludit, corpora necessario esse plura, is corpori tribuit *multiplex* illud, quod locorum est, atque incidit in *paralogismum*. Gratis igitur negatur, corpus unum, idemque esse simul non posse in locis pluribus; etenim, re inspecta, nihil aliud tandem negando dicitur, nisi: *corpus unum esse simul nequit in locis pluribus, quia esse nequit*; quod quid probet, nemo non videt.

Th. XXXII.

Quid ad hæc respondeant adversarii? Num illud tandem repugnare, atque omnia evertere, corpus videlicet unum existere *naturaliter*, & non *naturaliter* tempore eodem? Sed si res paulo attentius inspiciatur, palam illico fit, per ea, quæ huc usque tradidimus, hanc quoque difficultatem sublatam esse. Cum enim corpus unum esse possit, eodem tempore, in locis pluribus, ut docuimus, minime pugnans est, illud ipsum existere naturali

modo, loco uno; altero autem loco, modo non naturali, tempore eodem. Etenim, non uno eodemque sensu, asseritur de re una, quod de ipsa eadem negatur. Illud absurdum vere est: *Corpus unum esse naturaliter, & non naturaliter, eodem tempore, & eodem loco:* tunc enim corpus vere esset idem, & non idem, tempore eodem; quod fieri nequit. At qui dicit, Christum, ex.gr., eodem tempore, esse *naturaliter* in Cœlis, non *naturaliter* in Eucharistia, rem minime pugnantem dicit: negat enim de Christo existente in terris, quod de ipso ait existente in Cœlis, quod, ut patet, minime pugnans est.

Th. XXXIII.

Ne itaque sibi temere persuadeant mali homines, se ideo Eucharistiam, & Religionem evertere, quia docet Ecclesia Catholica, Christum totum, atque integrum esse eodem, tempore, in Cœlis, & in Eucharistia; cum id rectæ rationi minime repugnet, ut ipsi autumant, dictitantque.

Th. XXXIV.

Quæ cum ita sint, dici quidem de ejusmodi hominibus potest, quod de Platonicis ait Augustinus: *ecce qualibus argumentis omnipotentiae Dei humana contra-*

dicit infirmitas, quam possidet vanitas! (1) Omnia, quæ excogitari in Eucharistiam possunt, prolata, & perpensa sunt: omnia inania, & nulla reperta sunt. Hæccine, in tanta Philosophiæ luce, proferri contra Religionem ab iis, qui se Philosophos appellant? Proh pudor, & nefas hominum, qui audent, ponere in Cœlum os suum! Mysteria Eucharistiæ sunt quidem impervia rationi hominum; at eidem minime contraria sunt; neque enim esse possunt: etenim ex eodem Patre Deo sunt Ratio, & Religio. Nos itaque, rejectis iis, quæ damnat Ecclesia Catholica, credimus, eadem docente, Filium æternum Parentis summi, factum carnem ex Virgine, verum Deum, & verum Hominem, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, quique redivivus ex mortuis sedet ad dexteram Patris in Cœlis, in Eucharistia, sub speciebus tum panis, tum vini, Corpus, & Sanguinem suum nobis reliquisse, ut omnes inde enutriti secum olim habeamus vitam sempiternam. Illos autem, qui, spreta Ecclesia, ejusmodi Mysteriis renuunt assentiri, *infla-*

(1) L. 22. de Civ. Dei C. 11.

ti sensu carnis suae (1) oramus, & obsecramus per Eum, qui nobis saluti esse voluit Sanguine suo, ut, *sensu carnis* relicto, nobiscum sentiant de Eucharistia, recipientes doctrinam Ecclesiæ illius, qua una Magistra, & Duce, patet iter in Cœlum; ne sibi, ipsorum culpa, fiat causa damnationis æternæ, quod omnibus traditum est, pignus æternæ beatitatis.

(1) Ad Coloss. C. 2. v. 18.

FINIS.